



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 77. Connestabilis a Ludovica de Sabaudia Regis Matre vexatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A. C. 1523.

§. LXXVII.

*Connestabilis a Ludovica de Sabaudia
Regis Matre vexatus.*

Jamjam ab Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo primo, Rex ipse exercitum suum ducebat, ac primi agminis curam Alenfonio Duci demandabat, quamvis hæc prærogativa Connestabilis dignitati annexa esset. Præterea Rex Borbonium e Mediolanensi Ducatu, cujus Præfecturam agebat, revocavit. Imo Regina hisce hostis sui adversitatibus nondum contenta, cum tot mala ad ulciscendam spreti amoris sui injuriam haud sufficere arbitraretur, litem eidem intentabat in omnia ejus bona, quæ sibi pleno jure deberi contendebat. (*) Postquam enim Connestabilis, mortua Susanna Ducissa uxore sua oblatas sibi a Regina nuptias neglexerat, hæc in hæreditariam Borbonicæ Domus portionem vocari postulabat, eoquod Caroli primi neptis &

(*) Quantum juris in uxoris suæ bona Connestabilis habuerit, perspicui potest apud P. Danielelem in sua Franciæ Historia tom. V. p. 489. & 499. edit. in 7. Volum. necnon in tom. VII. pag. 504. & seq. edit. de Anno 1719. in 10. Volum.

& Margarithæ, quæ Philippo Sabaudia Sæcul. XVI.
 Duci nupserat, filia esset, quo obtentu A. C. 1523.
 ad divexandum Connestabilem uteba-
 tur: ex adverso Connestabilis dicebat,
 quod tota familiæ Borbonicæ hæredi-
 tas sibi competeret beneficiario jure,
 cum id soli huic Domui proprium esset,
 exclusa etiam Susanna Petri Borbonii
 filia. Præterea allegabat, in pactis con-
 nubii cum Susanna a se contracti, ut
 sic tota lis dirimeretur, fuisse conclu-
 sum, quod pleno jure, si illa prior de-
 cederet, Borbonicæ Domus successio ad
 Carolum Borbonium rediret; Nihilomi-
 nus Regina, cum Princeps admodum
 imperiosa esset, litem redintegrabat, &
 Connestabilem vehementius quam
 sustinendo esset, exagitabat: cum vero
 ille ob dignitatis suæ prærogativam
 nullum aliud præter Parlamenti Pari-
 siensis tribunal agnosceret, Regina ejus
 causam Prato Cancellario, aliisque ju-
 dicibus sibi addictis commisit, ex qua
 agendi ratione Connestabilis haud ob-
 scure intellexerat, una omnes ad ipsius
 perniciem conspiraturos, præcipue, cum
 ipsemet Rex Franciscus cæco prorsus
 consilio Matris suæ indignationi ac vin-
 dictæ cupidini plene suffragaretur.